

D. D.

Dissertatio Academica,

*Fabricam, Usum & Differen-
tias Palporum in Insectis
exponens.*

Cujus

Particulam II:dam

Consent. Ampl. Facult. Phil. Aboëns.

Præside

D:no Gabriele Bonsdorff,

*Pbil. & Med. Doct. Hist. Nat. & Art. Veter. Prof. Reg.
& Ord. Reg. Acad. b. t. Rettore Magnifico,*

publicæ censuræ submittit

*Svante Björklund,
Smolandus.*

In Auditorio Maj. die IX Maii MDCCXII.

H. A. M. C.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

Apothekaren

Ådel och Högaktad

Herr GUSTAF ÅBERG,

Minnet af der ynnest och Bevägenhet Herr Apothekaren
vid flera tilfället bebagat visa mig, förenadt med den
Vördnad och Högaktnig, jag bos en så Vördad välgöra e
aldrig kan tilfyllest afbörda, ålägga mig, at, vid utgifvandet
af detta Academiska arbete, därfore betyga min liftiga
årkänsla. — Min önskan är vunnen, om Herr Apothekaren
med lika Ymeest och Godhet täckes anse denna lilla Afhand-
ling, som jag af et tackamt bjerta driftven, vägat den sam-
ma Herr Apothekaren ödmjukast tilägna. — Uti detta gla-
de hopp söker jag åran frambärda

Ådel oeh Högaktad Herr Apothekarens

Ödmjukaste Tjenare

EWANTE BJÖRKUND.

Dissertatio de Palpis Insectorum Sec. Phisiol.

S. V.

Verum ab hac investigatione, immensam horum armamentorum subtilitatem & rationem pariter ac seriem exquisitam abunde commonstratura, ad aliam transgredimur, egregie letati, nosmet ad substratum, densa quoties non præluxerint lumina Fabriciana caligine circumfulsat, materiam illustrandam, operam modulo & acie tenus contulisse; pauca, prius quam de Fabrica Palporum interna lineas quasdam ducere tentaverimus, de compactione externa & juncturis eorumdem disserturi. Absoluta vero est, & cum quibuscumque in universum partibus & membris Insectorum communis Palporum conditio, quam in limine huius sectionis jam indicavimus, ut extus circumquaque induita & munita sint lorica crustacea, jam dura, ossea, fragili ac luci penitus impervia, jam callosa vel cornea atque osflagini simili, jam licet rarius quasi cartilaginea, tenuiori, pellucida, flexibili magis quam rigida, dupplici officio intenta, quandoquidem simul cutis loco tenerrima viscera cæterasque partes molles obtegere & tutari debeat, atque ossium toto huic progeniei prorsus intra corporis gremium denegatorum vices supplendo formam atque firmitatem debitam artibus non minus quam trunco conciliet. Procul itaque ut incrustata hæc cornicula intus essent solida,

C

lida, & in similitudinem setarum vel pilorum crassiorum rigidiorumque, a quibus igitur apertissime differunt, fabrefacta, fistulosa sunt & interne in tubuli effigiem cavata pro recipienda pulpa earundem intima mollissima, tubulo usque a basi aperto, ad foramen partis oris palpigeræ viscera & vasa trajiciens arctissime juncto & apposito, per totam longitudinem continuato, atque in imo tandem apice consolidato vel præcluso. Quemadmodum autem omnia Insectorum membra, incisuris vel segmentis variis præeincta sunt & tenui tantum canaliculo cohærentia, ne mobilitatem, insigne illud vitæ præfidium ac beneficium, restringeret corporis indifereta moles, ita etiam suis commissuris interstinctum est filum Palporum, ut non ad incolumentem solum, verum etiam agilitatem consentiens esset & accommodata coagmentatio eorum loricata. Hinc nodoso ut plurimum vel annulato habitu in conspectum veniunt, Antennis haud absimiles, articulis tam numero & relatione mutua quam figuraione & nexibus valde discrepantibus & jam simplici, ut in plerisque, jam dupplici serie ut in bifidis *Cancrorum* Palpis in catenæ modum ordinatis.

§ VI.

Numerus articulorum, quem in descriptione Infecti concinnanda observasse permagni intereit, aliquantum

tum quidem variat, quanvis non ad morem Antennarum sit multifarius. Rariora namque sunt exempla, juncturas numerum senarium superasse, in universo generum Palpis quadrigeminis munitorum ordine omnino nulla: in familiis triplici pare dotatis unicum, *Cicindelarum* scil. quæ Palpos posteriores prætendunt multiarticulatos: in gente tandem jugo simplici instruta unum atque alterum, *Tipulis* puta & integra *Libellularum* L. turba, quibus sine dubio accedunt haud paucæ *Phalænarum* species, quæ *Pyrales* LINNEO audiunt, & *Lepidopterorum* quod suspicamur plures, quamvis omnes propter manifestam vellera eorundem hirsutissima abradendi difficultatem ad vivum resecare non licuerit; ut reticeam, juncturas in paucioribus quibusdam esse, propter æqualitatem internodiorum & colligationem arctissimam, adeo obsoletas, ut numerus articulorum vix in supputationem vocari possit. Cæteri quotquot sunt stirpis huius vivacissimæ alumni, commissuras numerant palporum, interdum duas, saepe tres quattuor & quinque, immo etiam in quibusdam *Hymenopterorum* familiis senas.

Nemo tamen sibi persvadeat, singula in uno eodemque infecto Palporum paria, conjunctim considerata & inter se comparata, æqualem semper articulorum vel paucitatem vel abundantiam sustinere; nam testatissimum est & ad videndum facile, Palpos anteriores ex quaternis rarius, ex senariis nunquam juncturarum numero posteriores æquiparare. Hæc autem

ipsa dissimilitudo, qua in diversas articulationum quasi formulas & typos quoad numerum abire solent, pariter ac mutuus earundem inter se respectus, haud sane in Insectis vaga vel lubrica, certis quibusdam ac immutabilibus submissa est ordinationibus & schematis diversis, quae distinguere ac recensere e re esse putavimus.

Quod igitur primum spectat Insecta, Palpis tantum duobus armata, quadruplicem, quantum nobis experiri licuit, admittunt numeri commissurarum varietatem.

I:a *Articulis tribus*: in *Dipteris* L. frequentissime occurrentes; exemplo sunt *Tabanus* L. *Ailus* L. &c. & ex *Apteris* L. unicus *Acarus* L. illis eius speciebus exceptis, *aquatico*, *tinctorio* &c. quae *Trombidium* F. constituunt.

II:a *Articulis quattuor*: in *Apteris bipalpatis* vulgarissima, ex. c. *Aranea*, *Scorpione* &c. nec non ex *Dipteris* *Musca morio*, *anili* L. &c. (*Bibionibus* Fabr.).

III:a *Articulis quinque*: rarissime obvia, nec nisi in *Musca diadema*, *scolopacea* L. &c. (*Rhagionibus* F.).

IV:a *Articulis pluribus*: hue pertinent ex *Neuropterus* *Libellulae* L. *Lepidoptera* forte plurima, & ex *Apteris* *Tipulæ* L.

Palpis quaternis quotquot munisuntur, antea jam dudum enumerata, duodecim offerunt articulorum conjugationes diversas, nimirum:

I:a

I:a *Palpis anterioribus 2 articulatis, posterioribus 4 articulatis: vix conspicienda nisi in genere Siricis L. ex Hymenopteris.*

II:a *Palpis anter. 3 artic. poster. 2 artic. exempla fistunt Coccinellæ L. Silpha 4 pustulata &c. L. (Tritoma F.), Cerambyx depresus L. &c. (Cucujus F.), & præter Coleoptera hæc, alia omnino nulla.*

III:a *Palpis anter. 3 artic. poster. 3 artic. quales deprehenduntur ex Coleopteris in Scarab. nobili, eremita &c. L. (Cetonia F.), Ips typographo &c. L. (Bostrico F.) Meloë vesicatorio L. &c. (Lyta F.), Ips Fabr. ut & ex Apteris in Monoculo L. & F.*

IV:a *Palpis anter. 4 artic. poster. 2 artic. in solo genere Panorpæ L. & F. ex Neuropteris reperiunda.*

V:a *Palpis anter. 4 artic. poster. 3 artic. hæc omnium solemnissima est & Coleopterorum familiis potioribus maxime naturalis; convenit nimirum amplissimis generibus Curculionum L. Cerambycum L. Elaterum L. Buprestidum L. Cantharidum L. aliarumque, quæ conjunctim quinque totius Classis sextantes fere constituant, quas enumerare non vacat. Nec repugnat reliquis ordinibus, quandoquidem ex Hæmipteris palpatis L. (Ulonatis F.) Grylli varii L. verrucivorus, viridissimus &c. (Locustæ F.). & fabulatus &c. (Arydia F.), ex Neuropteris Hemerobii, Ephemeræ, Raphidiæ L. quin retiam ex Hymenopteris Leucopsis, Scolio & Tynæus Fabr. hunc eundem servent articulationis typum.*

VI:a *Palpis anter. 4 artic. poster. 4 artic. intra Coleopterorum ordinem quibusdam Silphis L. vespillo &c. (Nicrophoris F.), Chrysomelis L. cervinæ, sulphureæ &c. (Cistelis F.), Staphylinis L. rufo &c. (Oxyporis F.) accommodata.*

VII:a *Palpis anter. 5 artic. poster. 3 artic. quem ad modum disponuntur ex Coleopteris in Attelabis L. cerasoides, caraboides &c. (Spondylibus F.); ex Hæmipteris in Blatta L. Manti L. & Gryllis, nasuto &c. (Truxali F.) atque ex Aptenis in Podura & Lepismate L.*

VIII:a *Palpis anter. 5 artic. poster. 4 artic. cuius ex Coleopteris unicum exemplum sifit Bruchus L. ex Hæmipteris, Gryllus stridulus, pedestris &c. L. (Grylli itidem Fabr.) pariter ac domesticus, gryllotaipa &c. L. (Acheta F.); ex Neuropteris Phryganea L., & ex Hymenopteris Cynips atque Chrysis L.*

IX:a *Palpis anter. 6 artic. poster. 2 artic. unicæ tantum eademque ex Hymenopteris Apum L. phalangi, succinctam, æneam reliquasque Fabr. Andrænas complectenti ad fruendum reservata.*

X:a *Palpis anter. 6 artic. poster. 3 artic. in Tenthredinis genere, ac ex Apibus L. rostrata &c. (Bembice F.) sub ordine itidem Hymenopterorum L. militantibus vifa.*

XI:a *Palpis anter. 6 artic. poster. 4 artic. non nisi paucis congruit Hymenopteris scil. Sphagi Appendigaster L. (Evaniae F.) & Api variegatæ, ruficorni L. &c. (Nomadis F.)*

XII:a

XII:a *Palpis anter. 6 artic. poster. 5. artic.* nequicquam in hac animalium legione observanda, nisi in *Hymenopterorum classe*, cuius familiis haud ita paucis, ex. c. *Vespis, Ichneumonibus, Formicis, Mutilis L. &c.* hæc juncturarum conditio est familiaris.

Quæ tandem *Palpis* senariis ditata sunt, aliam recipiunt commissurarum ordinationem dum palpi integrimi sunt & simplici catena colligati, aliam quando bifidi sunt, articulis in dupplicem seriem distributis. Simplicem qui suam faciunt compositionem, in quatuor diversas abire solent formulas:

I:a *Palpis anter. 2 artic. mediis 3 artic. poster. 3 artic.* quam ad normam construuntur in speciebus *Tenebrionis L. cursori, fossore &c. genere Scaritis F. comprehensis*, quin etiam *Chrysomelis*, quotquot *Palpis* sex insiliunt, *graminis, boleti* et quæ sunt reliquæ.

II:a *Palpis anter. 2 artic. med. 4 artic. poster. 3 artic.* frequentius intra ordinem *Coleopterorum* occurrens, scil. in *Carabis, Dytiscis, Cicindelis nonnullis L. riparia, aquatica &c. (Elaphris F.) atque Alurnis Fabr.*

III:a *Palpis anter. 2 artic. med. 4 artic. poster. multi-articulatis: Cicindelis L. a Fabr. agnitis sylvaticæ, campestri &c. adjudicata.*

IV:a *Palpis anter. 3 artic. med. 4 artic. poster. 4 artic.* unico ex *Neuropteris generi Myrmeleonis L. Ascalaphos F.* simul complectenti propria & genuina.

Neque alia est ratio laciniarum, quas offerunt Palpi bifidi *Cancrorum*, hac peculiari eorundem quasi gemi-

geminazione maxime notabilium; varium nimirum articulorum numerum & relationem in singulo, quod ex hac copiosa stirpe deduxit, genere observavit saepe laudatus artificiorum naturae in Insectis lynceus FABRICIUS: in *Cancro* scil. suo striete sic dicto palpos anter. lacinia altera 4 artic. altera 2 artic. intermed. lacin. alt. 3 art. alt. 2 artic. poster. 3 articulatos: ex. gr. *Canc. minuto*, *pelagico* L. &c; in *Paguro* suo palp. ant. lacin. alt. 6 art. alt. 4 artic. intermed. lac. alt. 5 art. alt. 4 artic. poster. 3 artic. ex. c. *Canc. bernhardo*, *eremita* L. &c. in *Scyllaro* suo palp. anter. indivis. 4 artic. med. lac. alt. 3 artic. alt. 2 artic. poster. 3 artic. ex. c. *Canc. astaco* L. in *Astaco* suo p. anter. lacin. alt. 4 artic. alter. 3 artic. med. lacin. alt. 3 artic. alt. inartic. poster. 3 artic. ex. c. *Canc. astaco* & *gammaro* L. in *Gammaro* p. anter. lac. alt. 4 artic. alt. inartic. med. lac. alt. 3 artic. alt. inartic. poster. 3 artic. ex. c. *Canc. pulice* & *locusta* L. &c; atque in speciebus novorum generum *Hippæ* & *Squillæ* F. Mantissi. adhuc variabiliores; & quæ magis manifesta vel notabiliora naturæ in partibus hisce ordinandis atque variandis ludibundæ testimonia vel excogitari possent vel exspectari!

§. VII.

Restat ut figuræ vicissitudines, articulorumque conformatio[n]es ac connexiones solemniores, eandem naturæ in debito suo per varietatem obtinendo splendore solertia[m] significaturas, leviter & quantum huius

ius sit loci summariter perstringamus; in tot namque diversas formas eosdem fingi constat, quot solida unquam corpuscula induere vel capeſſere ſolent. Cognovimus quidem, figuram quam vocant filiformem, articulis cylindricis æqualibus, vulgatissimam eſſe & Infectis, ſi ita dicere licet, maxime naturalem. Aſt haud rara ſunt exempla, omnes articulos, eandem licet crassitudinem aliquatenus fervent, longitudine fibimet nihil tamen minus diſſimiles fuſſe; priuus ſcilicet articulus ſæpius bi eviſſimus ac rotundatus alterum longiſſimum ſibi adjunctum amat, cui reliqui ſucceſſunt breviores; dum in aliis varie interſeritur prælonga commiſſura, imo apici interdum præfixa. Neque obfoleta ſunt exempla, articulos in neutro pare quoad figurenionem invicem conſentire, quo etiam accidit, ut in deſcriptione Palporum accurata adoranda, quam in regularioribus uno exprimere termino Entomologo expedit, illegitima vix ulla arte evitari poſſit prolixitas, a cunctis in ſingulo Palporum jugo articulis membratim diſcernendis ac adumbrandis oriunda, quod faltem in *Myrmeleonibus*, *Cancris* & permultis aliis neceſſum habetur.

Hæc autem figurarum multiformium varietas, in Palpis ſimiſliter cragittie vel increſcentibus, vel decreſcentibus vel medio tantum intumefientibus haud inconſpicua, nullibi tamen celebrior memorabiliorque deprehenditur, quam in ſupremo eorundem apice. Præter enim quam quod vel acumine, vel capitulo diver-

sis ut plurimum modis constructis claudantur, adeo interdum singulares & inexspectatas gerunt coronides, ut culpæ nos submitteremus, si easdem hac occasione silentio præteriremus: acuta illa scilicet respicimus spicula vel ungueulos, quæ *Acarorum* querundam *L. tinctorii* &c. *Trombidiorum* Fabr. præfiguntur: chelas validas multo carne atque robore impletas, *Palpis Scorpionum* subjunctas: & miranda genitalia, *Aranearium* maribus in capitulo Palporum terminali recondita. Quis enim in *Palpis*, mitissimo illo ac imbelli armamentorum genere, sensui cuidam procul dubio dicato, articulum in apice offendit crederet, qualem in citatis *Acaris* detegimus, tot vermiculis lethiferum; vel quod magis mirum est, qualem in *scorpionibus* cernimus, in furcam geminatum, cuspidibus duabus cornis rigidissimisque magis vel minus elongatis & acuminatis, conniventibus, interdum intus denticulatis, altera fixa ac firmissima, altera pollicis in modum mobili, quo igitur instar forcipis strenue prehendere ac comprimere valent, dum aut pabulatum vel venatum oculos ac pedes circumferunt, aut alioquin pugnis se committunt bellicos hi ac caudæ acumine metuendi benefici, haud aliter ac chelis suis eodem exacte artificio constructis, quibus pedes anteriores elongati, qui brachia appellantur, armati sunt, apprehendere valent *Cancri*. Nulla tamen artuum Insectorum modificatio magis tam admirationem quam attentionem nobis movere potest, quam Palporum in masculo Aranearium sexu

sexu conclusio dudum memorata: ultimus nimirum articulus reliquis multo dilatator ac tumidior, vesiculam refert vel globulum, crusta tenuiori fere pellucida superinductum, in vertice ruptum fissura angusta, ex qua membrum tenellum, lobulum vel papillam referens, negotio generationis sacratum, pistilli instar prominet, parum saltem, ut nobis visum est, extensile atque retractile, quod pro virilibus *Aranearum*, in hac mirabili familia praeter morem animalium adeoque geminis, uno scil. ab utroque latere, non conjunctis sed alternis vicibus viribusque solitario hymeni admovendis, idcirco recte habetur. Atque ex hac fabrica, interius fere inextricabili, deducimus caussam, cur libidinosi *Aranearum* mares coituri, fæminas lascivas quidem ast in ipsis nuptiis crudelissimas, lentis ac ne immodesta conjugi displiceat appropinquatio, tranquillis passibus aggressi, Palpos suos submittant basi abdominis earundem, cui membrum sexus fæminei penetrabile, lacinia externa papillari stipatum notatumque, innatum esse novimus & ita accommodatum, ut capitula marium genitalifera iisdem opportune possint usque ad introitum applicari & tamdiu adhaerescere, donec fœundatio sit perfecta; qua demum perfecta mares iracundam conjugem submissa placiditate deserunt, protervis ac ineptis gestibus, ne iram eius & vindictam non nisi sanguine mariti satiabilem sibi contrahant, circumspecte carentes; cfr. de hoc naturæ mysterio, a nobis alia occasione, si Diis placeat, fusius

& ex instituto explicando, quæ tam de fabrica harum partium subtilissima, quam insandis gentis huius moribus nuptialibus egregrie attulerunt LYONNET in *Theol. des Inf.* T. I. p. 181. & DE GEER in *Histoire des Insect.* T. II. 27. 28. T. VII. p. 179. 180.

Vincula tandem atque retinacula, quibus internodia palporum colligantur, & radicitus inseruntur, membranacea sunt & simul atque tenacissima sint, flexilissima; connectuntur autem nexibus ut plurimum solutioribus, ipsas commissuras capsarum modo ambientibus, strictioribus interdum & tam arcte atque intime juncturas revincentibus, ut articulorum limites ægrius distingvi queant, atque in disquisitionem vocari.

§. VIII.

Quamvis autem omnia hæc a nobis jam allata palporum momenta, in alias atque alias jam similitudines, jam dissimilitudines transfigurentur, nihil tamen propterea periculi subesse videtur, ne non a quibusunque oris partibus vel instrumentis cibariis, quantumlibet in Palporum effigiem attenuatis, in emni, uti dicitur casu atque statu distingui possint & separatim designari. Mittimus omnem evidentissimi, quo Palpi a Tentaculis Vermium molliissimis retractilibusque primo mox adspectu separantur, discriminis interpretationem. Neque in differentiis Antennarum, quas præcipue in situ harum extra oris limites, articulorumque fre-

frequentiori multitudine ac mutuo quoad figuratiō-
nem consensu, pariter ac habitu ac usū potissimum,
quārendas esse diximus, exponendis multi erimus.
Maxillæ namque sunt & Lingua, qualem Hymeno-
ptera nonnulla ex maxillis & Labio elongatis, teste
Fabricio, compositam ostentant, quæ in primis speciem
Palporum in paucissimis quibusdam generibus menti-
ri videntur, a quibus igitur genuini Palpi probe at-
que caute discernendi sunt. Oscula scilicet *Chrysome-*
larum maxillis bifidis instructarum ex. c. *merdigeræ*,
nymphæ aliatumque *Criocerum* Fabr. exempla a *Tene-*
brionibus quibusdam variisque aliis ut taceamus, si festi-
nantius inspiciuntur, ad auctus facile Palporum nume-
rus in oculos cadit, quandoquidem laciniae maxillæ e-
longatæ, Palpis anterioribus approximatæ, iisdemque
habitu non prorsus repugnantes, æque facile pro ve-
ris Palpis respici possint, ac hi ipsi pro maxillæ laci-
niis haberentur. Similiter incautum spectatorem cito
deciperet subitanea Palporum posteriorum contempla-
tio in *Apibus* & præcipue *Nomadis* Fabr. antea citatis;
siquidem formam linguae a Lingua spirali *Lepido-*
pterorum fabrica diversissimæ & a prominentibus ma-
xillarum labiorumque summitatibus in unum conjun-
ctis pronatæ imitari videntur. Attamen perbe-
ne dijudicatur ista ambiguitas, nam articulatam,
flexibilem ac ad persentiscendum habilem fabricam,
Palpis absolute attributam, neutro horum instrumen-
torum specie tantum externa similium, convenire per-
speximus.

Palpos denique quod attinet *Trombidiorum* Fabr. aspectu rigidos, porrectos, incurvos, extus gibbosos, spiculo acutissimo terminali armatos, permultum quidem mandibulas vel maxillas assimilant, sed ab illis eo facilius ex allatis Palporum indiciis ac signis dignoscuntur, quo certius simul constat, distinctam suam generi commemorato ab utroque latere adscriptam esse mandibulam pariter ac maxillam, in nulla, quantum novimus, Insectorum familia dupplicem. Neque exemplum mandibulæ biarticulatæ & cheliferæ *Phalangorum* rarissimum & unicum, effigiem Palporum *scorpionum* forcipatorum quantumvis æmuletur, ad instrumenta hæc diversissima commiscenda momentum quoddam confert; nam situ suo in oris angulis defixo, mobilitate restricta & tantum reciproca, quam ginglimoidam vocant, pariter ac ministerio ad cibos prehendendos accommodato, mox dignoscitur a Palpis eorundem, qui procul ut abeissent, elongati sunt & distinctissimi. Et quid dicam de falsa affinitatis inter pedes atque Palpos suspicione, quam in *Araneis* & quibusdam *Phalangiis* de pandiculatione palporum ad crurum morem, ac æquali utrorumque & armatura ungiculata & vestitu setis squalido, ducere & derivare nonnullis placuit; dimovetur enim, quam primum infertio Palporum, habitus atque exquisita agilitatis ratio attentius inspicitur & consideratur.

Atque hæc de compositione Palporum externa fusius jam differuimus, ut ad liquidum explorata es-
set

set veritas, hæc oris instrumenta in Insectis, æque negligenter ab antiquioribus, ac in plantis stamina quondam & pistilla, animadversa, *antennulas* a RAJO & SCHLUGA nuncupata & ab Illustr. a LINNÉ, qui nomen proprium illis primum imposuit (cfr. *Diff. fundam. Entomolog.* p. 17.) *Palpos* appellata, memoratu esse dignissima & ulteriori disquisitioni commendanda; a compagine igitur ad viscera jam transeundem est.

§. IX.

Tubulosa Palporum ac in specum excavata fabrica, intestinum quendam functionis alicujus apparatus manifesto promittit, qui tanto erit nobilior, quanto firmioribus involutus & reconditus est integumentis. Immensa autem tenerrimæ huius mollissimæque medullæ subtilitas & parvitas sensibus nostris usque adeo incomprehensibilis, omnem penitus excludit contemplativam contextionis suæ disquisitionem, solam admittens ratiocinativam. Dum enim involuera adaperire tentavimus, tam infortunate semper successit dissectio nostra, quantumvis anxie & caute instituta, ut pulpam incolorem & illæsam nondum viderimus denudatam. Fracto scilicet putamine, vel disruptis commissararum nexibus, tantillus exstilat succus lymphæ limpidissimæ similis, qui itaque vasculorum copiam ad palporum adyta e latibris partium oris delatorum fatis superque confirmat. Fibrillæ insuper armato oculo deteguntur numerosæ, inordinate decurrentes, quarum genuinam indolem ex-

cutere non licuit, quamvis pericula diligenter repetita huius investigationis gratia ausi fuerimus. Interim surculos nerveos huic vasculorum reti immisceri vix in dubium vocari potest, quatenus spontanea Palporum agilitas, & sentiendi vis in omni eorundem motu ac gestulatione ad occasiones varias accommodata aperte conspicua, nervos habeant ministros ita sibi necessarios, ut sine illis ne concipi quidem posit, multo minus, salvis legibus in toto regno animali a natura constitutis, explicari. Neque fibrarum carnearum ulla vestigia lustrare vel referere nobis contigit, partim quod in his angustiis tenuissimae sint & omnem nostram aciem subterfugientes, partim etiam quod pallefcere soleant, & fibras cellulares specie atque vultu assimilare. Nihilo tamen minus singulis articulis suos minutissimos musculorum lacertos attribuere nulli dubitamus, tam radicales qui partem palpigeram & primum articulum interjacent, quam interarticulares, qui internodia reddunt flexibilia, haud aliter ac in Antennis dispositos esse antea commemoravimus. Vidimus obstupefacti *Formicas*, parvula illa magni laboris animalcula, stipulas insignes mandibulis suis validis dum prehenderent, onera sua Palporum amplexibus sublevare; vidimus *Coleoptera* varia florilega ac *Apes* suis barbulis motitare atque removere stamina ac petala, dum ad interiores florum recessus penetrare gestiunt; inexpectata itaque muscularis roboris Palporum testimonia experti, sumnum miraculorum mortalibus inexctracabilem opificem venerari didicimus.